



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Initium Sapientiae & Finis: Timor Domini, & Amor Dei: Seu  
de fuga peccati, deque dilectione summi boni**

**Comitin, César Jean-Baptiste**

**Coloniae, 1709**

§.2. Mors pretiosa.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50773](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50773)

bi s medióque tui nobilissimum totius orbis emporium : forum es ipsa tibi; & quid dico forum? cùm regnum intra te sit, & regnum cælorum, quod tanti valet quanti tu, Misera! credis hoc? si non credis, cui credis? si credis, cui operam locas? mundo an Deo? mundo qui se perdit & te? Deo qui te servat & se? te sibi, se tibi? Hic, híc sere, cælum ara, Deum ama, quo solo dives es.

§. 2. *Mors pretiosa.*

Vitam bonam sequitur mors in Domino longè pretiosior. Ibi enim præluditur æternitati : híc concluditur. Quare Christiani non prima, sed tota philosophia est, cujus ab uno momento pendet æternitas. Ac cetera quidem utcunque restitui possunt, hoc unum ineluctabile est. Quid quòd & transitus animæ gravis, & gravior pugna? instant enim hostes, incumbuntque migranti. Urget aliunde conscia tot criminum mens, incertaque futuri. Citatur ad tribunal rea; nec comperendinatui locus datur. O quale tempus, cùm tempus non erit amplius!

In illo discrimine rerum atque certamine tanto quis aderit tibi? quis aget causam? à quo demum auxilia speras? audi à quo. *Si ambulavero in medio umbrae mortis, non ti-*

*me?*

mebo mala. Quæ tantæ causa fortitudinis?  
 quoniam tu mecum es. Ille, ille qui via vitæ  
 est, VIATICUM est & mortis, naulum trans-  
 fretantis, scutum decertantis. *Dabis eis, in-*  
*quit, SCUTUM CORDIS laborem tuum.* (Thren.  
 3.) Hinc quies, hinc in morte securitas, hinc  
 & voluptas. Nam quod aliud votum nostrum  
 est quàm exire de sæculo. & recipi apud Domi-  
 num? Hæc voluptas, ubi & votum. (Tertul.)  
*Pæna vitiorum transit in arma virtutum.*  
 [August.] Ibi non gemes; sed universis circa  
 plorantibus, solus ipse ridebis, conscientia uti-  
 que bonâ & premiis futurorum. [Hieronym.]  
 addo, & pretiis præteritorum. Nam si tabel-  
 la vetulæ à Zeuxide depictæ, tantum pla-  
 cuit auctori, ut præ voluptate moreretur;  
 qualis erit morientis oculis imago vitæ be-  
 ne actæ, cuius recordatione, ut ait Tullius,  
 nihil est jucundius? erit, erit tum enim ve-  
 rò, si aliàs unquam, *theatrum sibi vir bonus.*  
 (Seneca.) Aderit è cælo Christus; aderit &  
 optima Mater, & Angeli, & Patroni. Ibi:  
*Nunc dimittis servum tuum, Domine, secun-*  
*dum verbum tuum in pace!* Ibi: *Latatus sum*  
*in his, quæ dicta sunt mihi; in domum Domini*  
*ibimus!* Ibi: *Me expectant iusti, donec retribu-*  
*as mihi!* O triumphum! ô gloriam emigran-  
 tis

tis! lætâ illîc omnia: & memoria præteriti,  
& spes futuri, & præsentis conscientia tota  
ac plena securitas.

Compara, compara non jam vitam vitæ;  
sed mortem morti, Quales illi de sæculo?  
qualis tu? qualis anima tua de deserto, de-  
liciis affluens, innixa super dilectum? O si  
perpenderes! ô si provideres! Oro te: propo-  
ne animo tantisper [erit enim aliquando] su-  
premam illam animæ tuæ tuæ crisin; ludan-  
tes artus, luctantem æstuantemque spiri-  
tum, & jam in extremis positum, ardente  
candelâ. Nam in hoc summo non dico tem-  
poris, sed æternitatis cardine, cujus esse vel  
fuisse tum voles? mundi an Christi? mira  
tua prudentia, si nunc facis aut non facis,  
quod tunc factum infectumque dolebis, aut  
fortasse speras ex malâ vitâ bonam mortem,  
hoc est, *ex falso verum*. Sophisma est. Nun-  
quam ita concluditur in bonâ formâ. Vive  
ût vis mori. Nam ex præmissis sequitur con-  
clusio. Porro de æternitate agitur hoc mo-  
mento. Quod inculco, quod impingo, quod  
infarcio usque & usque legenti; ÆTERNI-  
TAS, inquam, *ibi incipit ubi sæculum desinit.*

§. 3. *Judicii favor.*

A conclavi feror ad orchestram, ad Impe-  
rato-